DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SANGUINE MITTENDO.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SANGUINE MITTENDO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS C. BOWEN, A. B.

AMERICANUS,

DE PROVIDENTIA.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1809

c

AMICO SUO,

ET

PATRI,

GULIELMO BOWEN,

ARMIGERO;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

CONSECRAT

FILIUS.

PATRUO SUO

CARISSIMO,

PARDONO BOWEN,

ARMIGERO;

HOCCE OPUSCULUM

DEDICAT

GULIELMUS C. BOWEN.

ETIAM,

JACOBO HAMILTON, M. D.

ARTIS OBSTETRICIÆ,

IN

HAC ACADEMIA

PROFESSORI;

OB

BENEFICIA MULTA ACCEPTA,

D. D.QUE

AUCTOR.

To

Dr Thomson

With the Compliments of

the

Author.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SANGUINE MITTENDO.

Hujus Academiæ celebritas tot ad se allicuit medicinæ honores affectantes, ut cum omnibus hos ambientibus aliquid ad rem medicam pertinens sit scribendum, nihil fere non sæpius ingenium exercuit; mihi igitur non speranti quid novi proferri posse, consilium est pauca de Sanguine mittendo disserere.

Sanguinem mitti novum non est; neque longo sermone de ejus origine, opus est; si-

quidem gentes imperitissimæ quantum in plurimos morbos valeat sanguis sponte fluens, facile perspexerint: hinc nullum unquam populum hoc genus auxilii ignorasse fas est creditu; primus omnium tamen e scriptis pro certo eo usus esse cognoscitur Podalirius, alter e filiis Æsculapii *.

Prosit necne sanguinem detrahere, semper inter medicos multum disputatum est: ipsam quasi vitæ flammam sanguini potissimum insidere, non sine gravi noxa detrahendo, quibusdam placuit: aliis autem contrariam sententiam amplexis, fere in omnes morbos hoc uti auxilio: adeo ut in duas partes de hac re medici diducantur; illi *Aimatophobi*, hi *Aimatophili* nominantur.

Inter illos, celeberrimi sunt Erasistratus, Helmontius, Bontekoe, Gehenna, &c.; inter hos, Hippocrates, Galenus, fere omnes medici

* Vide Stephanum, lib. de Urbibus, sub tit. Syrna.

Rationales; Pneumatici etiam; quorum princeps Aretæus erat, Celsus, Leonardus, Botallus, Sydenhamus, Hecquetus, et alii bene multi. Heraclides Tarentinus cæterique *Empirici* rarius venam secuerunt; neque sæpe *Methodici*, et fere nunquam bis in eodem corpore. Parcissime sanguinem detraxêre Rhases inter *Arabes*, Forestus, Silvius de la Boe, Platerus, Amatus Lusitanus, Sennertus, Stahlius, Hoffmannus et Tissotius *.

Nunc tamen ad propositum absolvendum memet accingam.

Medici detractione sanguinis uti solent, vel toti corpori vel cuidam ejus parti auxilio: hoc consilio deplentur vasa partis laborantis; illo autem, quodammodo totius corporis.

---

* De Meza de missione Sanguinis, Walbaum de Venæ sectione.

Triplex erit argumentum nostrum :

Primo, Considerandum, quomodo corpus afficiatur sanguine misso vel e vasis partis, vel totius corporis.

Secundo, Quæ notæ eundem profuturum esse indicarent.

Tertio, Quantum hoc auxilium juvaret, aut noceret, in morborum curatione.

CAP. I.

QUOMODO CORPUS SANGUINE MISSO AFFICIATUR.

Ut antea memoravimus, sanguinis detractio vel totum corpus, vel aliquam ejus partem afficit; ideoque est vel *generalis* vel *localis*, ut medici loquuntur.

Detractio sanguinis generalis.—Hæc vel arteriam vel venam secando perficitur; sectio arteriæ ad hunc finem apud hodiernos fere nunc obsoluit; quia haud magnis incommodis caret, et venam incisam pariter auxiliari usus satis superque edocuit.

Facile constat venæ sectionem hunc duplicem effectum præstare; nempe, sanguinis circumfluentis molem, ejusque vasorum *intentionem* imminuere.

Hanc sanguinis molem imminuere nemo inficias ibit: at vero disputatum est necne consueta moles sanguinis detracta, *libra* exempli gratia, vasorum alicujus partis, imo vasis cujuslibet intentionem multum diminuere queat: hic, me judice, quod in quæstionibus ad rem medicam pertinentibus haud raro fit, de *voce* potius quam *re* disceptatur. Sanguis alicubi corporis justo abundantior nocere videtur potissimum vasa istius partis præter solitum intendendo. Quod si sanguis venam feriendo celeriter eliciatur, necesse est ut cor sua tensione expediatur; quippe quæ saltem quodammodo mole sanguinis quam accipit, nititur, hic plane diminuta: at cordis intentione resoluta, sequitur ut arteriæ similiter afficerentur; nimirum, præ consensu inter illud et has intercedente; et illius, harum motum plurimum regente. Non dubium moveri potest quin omnium arteriarum *resolutionem*, i. e. tensionem minutam missio sanguinis *generalis* moliatur; quæ si ita res-

se habeat, facilem reddit rationem aliorum ejusdem effectuum neminem rei medicæ studiosum latentium; quales sunt resolutio, imbecillitas totius corporis, cor et arteriæ debilius micantes, calor imminutus, et, ut quidam volunt, secernenda et excernenda cohibita.

Præter hæc, olim et diu sententia invaluit sanguinis massam, ex vena incisa, hinc illorsum, nempe a parte pleniore ad eam ferro depletam *revulsam* et *derivatam* esse; exempli gratia, cerebrum, si sanguine nimis impletum male se habeat, vena pedis incisa, illico expeditum esse, præ sanguine horsum e capite defluente. Hoc, arteria secta vel rupta, quodammodo fieri verisimillimum est, eoque proclivitas plane apparet: at vero lex, qua sanguis circumfluit, quo minus idem in venis fieret, vetare videtur. Proinde convenit inter omnes hodiernos, hunc salutarem effectum (vasorum partis laborantis exinanitionem) non nisi, vi cordis imminuta, eoque va-

sorum intentione resoluta, esse moliendum; et quia missio sanguinis generalis hæc præstat, facile constabit, ex qua parte corporis sanguis eliciatur, minimi interesse.

Res est notissima sanguinis detractionem facultate pollere ejus distributionem per totum corpus æquandi; at quomodo hoc faceret, fortasse nondum satis intelligitur.

Detractio sanguinis localis.—Per hanc intelligitur exinanitio vasorum alicujus partis, sive scarificando, sive hirudinibus admotis, sive arterias incidendo: hæc fieri potest cæteris corporis partibus vix aut ne vix inde affectis, præ sanguine parcius et tardius emisso.

CAP. II.

QUÆ RES INDICARENT SANGUINIS EMISSIONEM PROFUTURAM.

Hæc autem indicant profuturum venam ferire.

1. Insolita et dolens arteriarum tensio.
2. Cordis et arteriarum motus abnormis, cerebro simul affecto.
3. Congestio sanguinis in aliquo viscere interno.

1. Insolitam et dolentem arteriarum tensionem insigniunt partim ægri ipsius sensus molesti, et species corporis inde mutata; partim arteriarum concitatio; scilicet, sensus insolitæ tensionis et caloris, vultus rubor, vasa summæ cutis turgescentia; et denique arte-

riarum concitatio, digito admoto, percepta; quæ facile hanc conditionem testantur.

Res est notissima, ante sanguinis circuitum ab immortalis Harveii ingenio detectum et illustratum, nil clari, bene perspecti aut utilis ex arteriarum pulsu notato deductum esse; imo, etiam multis annis post hoc mirabile inventum, medicos subtilius et inepte de pulsu esse hallucinatos, et de ejus varietatibus vix percipiendis disseruisse.

Recentiores medici fortasse in culpam isti contrariam inciderunt: neque dubium est quin Heberdeni sententia, pulsus arteriarum frequentiam potissimum et præ cæteris conditionibus observatu esse dignam, medicum curantem ea utentem sæpenumero plurimum falleret: haud profecto inficiandum, arterias justo frequentius micare in plerisque gravioribus morbis; quæ conditio tamen longis et acutis morbis, debilitati et motui incitatiori, pariter contingit.

Ista vasorum tensio, quæ sanguinem mitti

desiderat, medicum artis expertum, et arteriarum pulsus studiosum, vix fallere aut effugere potest.

2. Cordis et arteriarum motum abnormem, cum cerebri affectu, a quovis alio morbo discernere, nulla fere difficultate premitur.

Cor et cerebrum se invicem, æterno quasi circulo, afficere, incitare, impellere, neminem rei medicæ peritum latet; adeo ut, utrum ab ipso initio alterum incitaverit, dictu difficillimum esset. Nemo ignorat quantum arteriarum motus cerebri et nervorum officia regat; eo ut plerique haud inepte illud *glandem* habuerint, pro mole et impetu sanguinis accepti vim nervosam secernentem. Recte an secus *hic* senserint, *illic* saltem non errâsse medicos luculenter edocet animæ defectio, tam sæpe venam aut arteriam incisam excipiens, ut videtur, præ vasis cerebri subito resolutis et depletis. Quinetiam cerebrum cor mirum in modum ciere et afficere docent ejus fabrica lapsu vel ictu læsa, vel alia ejus

valetudo. Proïnde venam feriendam indicare consueverunt inde orta signa, arteriæ nempe tardius neque continenter micantes, stupor, oculi pupilla patula, mentis alienatio, delirium, vomitus, &c.

3. Congestio sanguinis in quovis interno viscere, a nervorum distentione vel alio affectu, arteriarum pulsu notato, dignoscitur. In hujusmodi exemplis arteriæ salire solent frequentius pariter atque validius et durius: aliquando tamen non multo frequentius, et simul tantulo durius solito, ut hæc proprietas (vel tensio) imperiti et inexercitati curandi aciem fere effugeret: hoc potissimum et insigniter intestini inflammationi contingit.

Hinc constat quanti medicorum intersit semper arteriarum pulsum scrutari, si qua pars doleat, et præter consuetudinem incalescat.

Quibusdam placuit, neque parvi nominis, sanguinis detractione utendum esse, siquis celerius aut difficulter spiret; dummodo hoc

nulli causæ mechanicæ innitatur; veluti latici in pectore, quo minus anima impleantur fistulæ spiritales obstanti. At vero haud inficias est eundum imbecillitatem corporis, aut virus intus incidens spiritum aliquando plurimum turbare; scilicet, in variola confluente, pustulæ sæpe, præ viribus resolutis, subito recedunt et collabuntur; malum in pulmonem incidit, et ejus officium gravissime lædit: in hoc exemplo, aut virus a summo corpore ad pulmonem delatum, ei irritamento fit, aut certe huc illinc transfertur actio morbosa: quod tamen utcunque se habeat, pro certo habeo sanguinem mittere nil profecturum, imo etiam esse *hominem jugulare*. Idem etiam in nonnullis asthmatis exemplis est pessimum.

Juvabit sanguinem detrahere ex parte cui dolor, inflammatio, aut tumor dolens contingant.

A. Neque vero notatu indignum, dolores partium a noxis nequaquam earundem vasis

depletis tollendis oriri: exemplis utor valetudine cui nomen *Tic doloureux*, rheumatismo, luxationibus articulorum jam diuturnis, ossium vitiis a morbo veneris, aut aliunde ortis.

Quo minus erremus igitur, hoc servetur præceptum, venæ incisionem in dolores non auxiliatum iri, nisi accederent tumor, rubor, et tensio dolens.

B. Fere inter omnes medicos *rationi* an *usui* insistentes convenit, inflammationem nunquam non sanguinis missionem flagitare: et quia, validiori an debiliori arteriarum motui inflammatio debeatur, semper tamen vasorum plenitudinem et tensionem ostendit; necesse est ut mittere sanguinem juvaret: huc referendæ istæ sanguinis congestiones in partibus, quæ subinde febres comitantur, optime vena ferienda et alvo soluta tollendæ.

C. Tumor cujusvis loci dolens, dummodo simul ejus vasa præter consuetudinem impleantur, idem desiderat auxilium; et hoc

genus tumoris ab alieno, ut eo, quod ligamentum aut aliqua causa *mechanica* molitur, facile discernitur. At vero etiam in hisce tumoribus aliquando sanguinem e parte elicere opus est; quippe quia amplificatio ista mechanica sanguinis abundantiæ et motui tardiori favet.

CAP. III.

QUIBUS IN MORBIS SANGUINEM MITTERE PROSIT AUT NOCEAT.

Hoc auxilium fere in omnes morbos classi *Pyrexiæ* subjectos invaluit; et adhuc plus minusve in plerosque. Veteres medici, præsertim *Rationales,* in omnia ista mala quæ *putrida* vocabant, eodem usi sunt; per quam vocem, testante Burserio, morbos incitationem intentam aut inflammationem habentes voluerunt: et si quid dubii fuerit, necne hac exinanitione esset utendum, in morbos pestilentes, et efflorescentias, hac quasi certa lege nixi sunt *Galenici ;* eam largius adhibendam esse, quoties, vasis plenioribus, *malignitas putredini* accesserit: et non omnino, si contra

res se habuerit*. Unde constat, quia inflammatio singulis morbis hujus classis plus minusve contingere solet, veteres in nullos eorum non hoc remedium admovisse.

Gallici, Hispanici, et Italici olim tot sanguinis libras detrahere consuêrunt, quot nuperi fere uncias†; quam curationem habili lepore lusit facundus Le Sagius‡: neque celandum recentiores ex altera parte errâsse, et justo parcius sanguinem elicuisse. His absolutis, ad singulos morbos jam transeündum.

Febres Intermittentes.—Alias alii senserunt de sanguine in his febribus mittendo; eo tamen aliquando opus esse, vix aliqui negant. In *semi-tertiana*, ni alia graviter vetarent, utendum Celsus præcepit. Hoffmannus ait: "Venæsectio in intermittentibus et quar-"tana anceps est remedium, ac insignem

* Petr. a Castro de Feb. Malig. Punctic.

† De Meza de Sang. missione. ‡ Vide Gil Blas.

"medici exigit prudentiam*." Alibi hoc auxilium quartanis convenire perhibet, si febricitans plenior antea id genus exinanitionis subire, aut profluvia sanguinolenta jam suppressa habere consuêrit, morbo ineünte aut increscente adhibendum; at potius omittendum, si febris inveteraverit, et vires corporis conciderint, et malus habitus institerit. Summa laude Botallus tamen ejus usum hic prosequitur, imo etiam dira ipsa aqua intercute fatum minitante; quam sententiam firmat multa disputatione et exemplis prolatis†. Sanguinem talis eliciendum, febre jam ad melius inclinata, nunquam eadem ineünte, Chesnavo placuit‡.

Themisonis æmuli has febres ad *genus asstrictum* referentes venam secuerunt; neque parce idem fecerunt Medici Rationales, præsertim in quartana. Galenus, si sanguis niger

---

* Opera Omnia supp. secund.

† Hoff. Opera Omnia. ‡ Ibid.

appareret, audacius sanguinem misit*. Cullenus his de febribus agens, præcipit venam esse feriendam; et cætera auxilia eodem spectantia utenda, si delirium aut alia magnæ incitationis prodirent signa. Rushius Philadelphiæ medicinam faciens sanguinem in his morbis paulo largius detrahit.

Inter tot varietates febris intermittentis, a Burserio scriptis mandatas, hoc auxilium caute admotum, pro signis urgentibus, sæpe utile, imo etiam necessarium fuit; at nocentissimum, et fatum inferens, si proclivitas ad putredinem, uti in tertiana scorbutica, petechiali, &c. contingeret.

E supra comprehensis patet venæ sectionem non, nisi ægro delirante, calore increscente, vasis plenioribus sanguinem effusuris et validius micantibus, auxiliatum iri.

Synocha.—Hanc etiam ad morbos *adstrictos* relatam, sanguine mittendo curârunt æ-

* Bravo Resolut. Med. de Feb. Humor. Curat.

muli Themisonis; imo ad ipsam animæ defectionem Rationales Medici. Hoc etiam præceperunt Hippocrates et Galenus: hic tamen sanguinem non semper impune eo usque mitti confitetur; et unum alterumve prodidit exemplum fati istam *Syncopen* excipientis *. Bravoüs opinatur tanta sanguinis jactura, florentibus illis medicis, magis quam apud suos opus esse; ipse tamen anno MDLXIV florebat. Sic loquitur: "Quod tempore Hippocratis et "Galeni naturæ hominum robustiores erant, "et aptæ ferre plura remedia, quæ nostri "ævi homines ferre non possunt;"—"et ulterius, in robustioribus illis hominibus "erant plures plethorici et athletæ, quibus "imminebat venarum ruptio; et ne certa "mors superveniret in his rarefactis humoribus ratione febris, ideo illico mittebant "sanguinem, usque ad syncopen."

Tantum profecto hoc auxilio in synocham

---

* Bravo Resolut. Med.

fisi sunt veteres ut, Burserio testante, eo ad levius delirium sedandum uterentur. Sydenhamus, Cullenus, et alii plerique eodem hic utendum esse jubent; neque inficiandum ei fere soli innitendum, si grassetur hæc febris mera, apud insulam nostram rarissima.

In typho venam rarius secuerunt hodierni; at subinde scarificare juvat, dum sanguis majore mole et impetu ad aliquam partem, ut cerebrum deferatur. Testatur Burserius sæpius admovendas esse cucurbitulas, febre increscente aut summum jam fastigium attingente, si urgeat delirium aut coma. Profecerunt etiam hirudines.

In *typho icterode* nuperi summo fructu sanguinem elicuerunt; præsertim Rushius, Philadelphiæ artem exercens; cui, ut olim Galeno, non injuria quis diceret, " O homo, febrem jugulasti."

Synochus jam iniens, incitatione cerebri intenta pro vi signorum, et febrientis indole et vivendi consuetudine, hoc remedium parcius

largiusve desiderat; hic profecto summa opus est peritia, et pessimæ noxæ intempestive aut nimis adhibitum existit.

Inter morbos ordini *Phlegmasiæ* subjectos, sanguinem mittere sæpe fere unico est præsidio, uti omnes hodierni fatentur: olim profecto quidam (hoc remedium prorsus rejicientes) hic profuisse negârunt, quorum princeps extitit Van Helmontius; quem scriptis mandatur inflammatione pleuræ laborantem, et vena non incisa, soli præsidio hirci sanguini siccato fidentem, pulmonibus inde corruptis, tantam molestiam perpessum esse, ut reliquam vitam miserrimus egerit; et fatum exinde immaturum expertus sit.

Pneumonia ex his frequentissime nostrates adoriens, huic auxilio sæpius et largius adhibito cedere consuevit; at vero, me judice, plus opinione solertiæ et usus medendi postulatur, ut quos citra limites in quovis exemplo sanguis hic mitteretur, probe statuamus.

Dum adsit dolor inter inspirandum auctus,

nemini dubium est quin rite iterum eliciatur vel e brachii vena, vel prope partem laborantem. Sed ubi dolor inter inspirandum ex toto amoveatur, tussis tamen urget, sanguisne iterum mittatur, difficillimum est statuere. Plerique volunt ipsius sanguinis speciem hanc resolvere difficultatem; at vero incerta lux inde accipitur: nunc ista superficies coriacea sanguini primum detracto rite coeunti deest; at novissime misso, ægro jam convalescente, crassior subest: nunc, ineunte morbo, apparet; at omnibus in pejus ruentibus, inflammatione gravissima, et hominem occisura, nulla omnino existit: arteriarum pulsu, indice multo clariore, nitendum; si enim hi citi et duri permaneant, signis vena incisa, ut videtur, jam levatis, nihilo secius iterum pro ægri viribus mittere sanguinem oportebit.

Phrenitis.—In hoc morbo, etiamsi signa hocce auxilium valde flagitare videantur, nequaquam juvit aut votis respondit: nonne

suspicari liceat, illud ei parcius adhibito, potius quam per se inepto aut nocenti tribuendum? auctoritate unius medici* usus, huic morbo, instanti aut ineunti, vena incisa occurrendum esse judico.

Enteritis.—Quinetiam in hoc malo, sanguinis detractio spem curantis haud raro fefellit; si quis imperitior medendi motui arteriarum hic duci confideret, non omnino venam secaret: neque celandum, colica an inflammatio intestini subesset, discernere sæpe difficillimum esse; quod si cui illa laboranti sanguis largius eliciatur, ne vires vitæ ad fatum ipsum dilabantur, metuendum erit. His perpensis, quibusdam placet, si quis enteritide laborare videatur, primo paululum sanguinis elicere, dein amplius, dum arteriæ plenius et validius moverentur; at valde suspicor talem curationem pessimum eventum

* Hamilton's Cases, p. 137.

sæpe moliri, inflammatione non rite sedata*; neque ullus dubito quin ad hunc morbum et phrenitidem sanandos, sanguini *tempestive* neque *parce* detracto, fere unicæ salutis spei esset fidendum.

In *rheumatismo acuto* sanguinem mittere, imo iterum iterumque sæpe juvat; neque aliter æger doloribus expeditur. In podagra tamen haud raro nocentissimum fuit; aliquando profecto dolores lenivit, et accessionem sedavit et contraxit. Si cor et arteriæ valde concitentur, si vasa turgeant intenta, summa cutis areat et incalescat, venæ sectio prodesse solet; etiamsi homo stirpe arthritica natus ista mala indole imbueretur: at semper parum sanguinis eliciendum, eo magis et potissimum si æger antea se luxui et cultui et Baccho dediderit; usu enim magistro didicimus, re ita se habente, vires admodum dilap-

* Vide Pemberton on the Diseases of the Abdominal Viscera.

sas hanc exinanitionem largam et subitam excipere; nervorum distentiones et resolutionem, in mortem desituras. Sanguis tamen felici exitu e parte inflammata, huic morbo perinde atque rheumatismo, detrahitur.

Exanthemata.—Variola laboranti vena tantum ferienda, in magna vasorum capitis incitatione et plenitudine. In *rubeola* non frequenter, me judice, ea opus est; dummodo curatio idonea adhibita fuerit. Cullenus equidem, aliique eximii medici, venæ sectionem summo et præcipuo auxilio esse judicârunt. Parr tamen longe alienam orationem de hac re habet: "Since, however, we have "learnt the good effects of laxative medi-"cines, we have found bleeding less neces-"sary, and have indeed very few cases which "have required it*." Si, adultis hoc morbo correptis, hoc verum esset, multo magis infantibus et junioribus; qui pessime sanguinis

* Parr's Medical Dictionary.

missionem ferre solent, sæpe inde in diram febrem hecticam vel diriorem hydropem incidentes.

In cæteris malis huic ordini subjectis, rarissime secanda vena. In peste tamen, ex quo floruerit Hippocrates usque ad hodierna tempora, sanguis largius detractus est: plerique tamen auctores summaque fide digni idem ut pessimæ noxæ evitârunt; imo aliqui mortem attulisse testati sunt. Fallopius de peste sexennium, nempe inter annum MDXXIV et MDXXX grassante, scribens, omnes, quibus vena incideretur, periisse, multos non ita curatos, convaluisse memoriæ tradidit*: haud tamen inficiandum hic, uti in plerisque aliis morbis, præ gravibus et propriis signis urgentibus, vena icta aliquando opus esse, etiamsi virium imbecillitas eandem vetare videatur; at, re ita se habente, parce sanguinem e parte laborante emittere longe præstare solet.

---

* Diemerbroeck de Peste, lib. iii.

Hæmorrhagiæ.—Morbi ad hunc ordinem spectantes sæpe hoc remedium desiderant; at copia sanguinis elicienda pro ægri viribus, habitu, &c. alias erit alia. Prositne in *phthisin pulmonalem*, multum et acriter fuit disputatum; unico esse auxilio ad quædam signa lenienda placet quibusdam. *Hæmoptysis* sæpissime hujus prænuncius certius idem flagitare videtur; at phthisi jam inveterascente, caute secanda est vena, et magna solertia opus est ut prosit necne statuatur.

Profluvia.—Hic etiam de proposito remedio alii alias senserunt: pestiferum esse in *catarrhum* a *contagio* ortum adhibitum, usus edocuit: non nisi juniore et pleniore *dysenteria* laborante, sanguinem educere licebit, et inflammatione intestini superventura.

Neuroses.—Quod ad ordinem *Comata*, sanguinem larga manu detrahere principi auxilio existit, si quis *apoplexia sanguinea* torqueatur; neque minoris habendum in *paralysin* vasis cerebri impletis ortam; in utraque rite accedit incisio arteriæ temporalis.

Adynamiæ.—In morbis ad hunc ordinem pertinentibus adeo nocere solet, ut inter omnes medicos rejiciatur.

Spasmi.—Sanguinem mittere nonnunquam in *palpitationem*, *asthma*, et *dyspnœam* valentissimo et præsenti subsidio existit; at nequaquam semper et ubique. Si nulla arteriarum intentio aut plenitudo earum pulsu aut specie vultus, et cutis temperie indicetur, venam secare est malum immedicabile reddere. In *pertussi* caute utendum est hoc remedium. Si qua *hysteria* torqueatur, nunquam juvabit, nisi quum sanguis majore vi in caput vertatur. Aliquando in *diarrhœam* prodest, eo magis si ægra simul in utero gereret. *Tetanus*, *nervorum distentiones* et *colica* haud raro plane venam incidi desiderant; neque tamen desunt exempla pessimi eventus idem consequentis.

In *diabetem mellitum* nuper amplissime adhibitum est hoc auxilium *; imo largius

* Vide Watts on Diabetes.

quam suadere videantur ipsa morbi signa, aut aliorum morborum curatio, qui simili imbecillitate stipati idem nequaquam postulant. Quod si unico exemplo aliquid sancire liceat, diabetis exemplum quod mihi testari nuper contigit apud hujus urbis nosocomium, venæ sectionem minus nocere quam ex ratione quis judicaret, docere videtur. Ægro de quo disserere volo, duobus mensibus, sanguinis unciæ cxxx vel cxl erant detractæ; dein exibat; urinæ primo indies profluxerant libræ xxvi, xxviii vel xxx, tandem xviii; vires, sanguine misso, ut ipse jactabat, refectæ sunt; sitis ardens extincta, cibi desiderium abnorme sedatum est; sanguis vice tertia et octava missus non rite coïens superficie coriacea alba fuit obductus; quinta et sexta, facile coïit: alias natura spumam lactis referente tectus.

Inter morbos ordini *Vesaniæ* subjectos, maniæ soli auxilium fert venæ incisio; neque huic, nisi validiore cordis et arteriarum motu.

Cachexiæ.—Hìc rarius tuto sanguis detrahitur; parce missus subinde signa *hydrothoracis* lenivit; at, me judice, pari et paulo tutiori præsidio sunt exulceratoria. Quod ad *hydrocephalum*, sanguis e capite, ineünte malo, at manu parca eductus, dummodo hic instare plane constaret, aliquando ejus impetum nascentem extinxit, certeve signa molestiora levavit. In *ictero*, si epigastrium aut dextrum hypochondrium acute doleat, venam secare proderit.

Locales.—In malis huc relatis, vena icenda vel ad inflammationem præcavendam, vel spasmum anima deficiente solvendum. Quem ad finem in *hernia* et quibusdam vulneribus hoc profecit. Pari ratione partum difficilem expedit; nimirum, partium inflammationem prævertendo, viasque relaxando.

Jam antea medicos antiquiores amplissimum sanguinis rivum elicuisse solitos, sæpe duas vel tres libras una vice, notavi. Recentiores in culpam contrariam inciderunt: hac

autem lege nitentes vix, ut opinor, errabimus; nimirum haud unquam tantum sanguinis abstrahendum, ut inde *aliquandiu* tollatur ista salutaris vasorum plenitudo cui cerebri et nervorum vires magnopere debentur. Hæc ratio forsan quare infantes hanc exinanitionem pessime ferant; arteriæ nempe continuo ad corporis partium singularum assiduum incrementum explicitæ et evolutæ amplius flumen sanguinis, ut probe impleantur, desiderant: hinc melius ferunt seniores, quibus fibræ magis rigescunt; cujus rei luculentissimo exemplo est pulmonis inflammatio, his potissimum contingens, neque nisi, plenissimo rivo sanguinis educto, vincenda. Ex jam dictis, causa patet quare ad eundem effectum moliendum, non eadem sanguinis moles in omnibus mittenda sit, etiamsi conditio corporis similis videatur subesse; aliis exigua, aliis ampliore jactura sanguinis opus est ad vasorum intentionem relaxandam.

FINIS.